Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31624
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

fluenta restringentem. Sic nec beatus Emilianus nostris temporibus heremita fecisse probatur. Hic relictis parentibus ac facultate propria heremi deserta petiuit, seque intra secreta siluarum Ponticiacensium Aruernici territorii abdidit. In qua decisa silua modicum deplanans campum, rastro ipsum effodiens humum, unde elicebat alimentum. Habebat et hortum paruulum, quem aqua superueniente rigabat, de quo holus ad refectionem nullo impinguatum adipe presumebat. Solatium uero absque dei adiutorio nullum habens. Cohabitatores enim bestias auesque habebat, que ad eum cottidie tamquam ad dei famulum confluebant. Vacabat enim ieiuniis et oratione. Nec eum ab hac causa nulla mundane sollicitudinis occasio impedire poterat, quia preter deum aliud nichil habebat. Erat huius temporis apud Aruernam urbem Sigivvaldus magna potentia preditus, in cuius seruitio erat adolescens nomine Bracchio, quod in eorum lingua sonat ursi catulus. Hic autem dictus iuit ad capessendam porcorum siluestrium uenationem delegatus. Itaque cum ingenti molossorum turba circuiens siluas, que si quos cepisset domino deferebat. Quadam uero die dum suem immensi corporis cum hac latrantium turba prosequeretur, suis intra septa que circa cellulam erant sancti ingreditur. Prosequens uero canum turba cum latratu usque ad aditum accessit uestibuli, moxque in suis herit uestigiis, nec ingredi est permissa post suem. Quod cernens Bracchio et celitus hec euenisse ammirans ad cellulam sancti se confert, uiditque suem ante ostium stantem nichil penitus formidantem. Consalutatur hic ac osculatur a sene, inuitatur ad residendum. Quibus considentibus ait senex: Video te fili diuine ingenii elegantia compositum, et sequi ea que magis detrimentum anime preparant quam salutem. Relinque quaeso terrenum dominum et sequere deum uerum celi terreque factorem, cuius nutu omnia gubernantur, cuius imperio omnia subduntur, cuius maiestate ipsa quam cernis bestia astat intrepida. Non te tumidum faciat aut extollat potentia domini tui, que nichil est. Sic enim apostolus ait: Qui gloriatur in domino glorietur. Et alibi: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Subde te eius seruitio qui ait: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam uos. Ipse est dominus cuius onus leue est, cuius iugum suaue est, cuius cultoribus tribuit presentia et uitam largitur eternam. Sic enim ait: Si quis renuntiauerit omnibus que possidet, centuplum accipiet et insuper uitam eternam possidebit. Hec et his similia sene uiriliter disserente, suis illesus siluas petiit. Puer discessit ab eo non sine grandi ammiratione, quod aprum quem inchoauerat sequi ferum in conspectu senis mansuetum stare uidit ut agnum. Plurima tractans ac multa secum reuoluens quid ageret, utrum seculum relinqueret an seculo deseruiret, sed diuina compunctus pietate et edoctus sancti Emiliani oratione aditum querere cepit occulte, qualiter clericus esse posset, quia publice propter terrenum non audebat. Tamen cum adhuc esset laicus in nocte uigilauit, tercio de stratu suo consurgens terre prostratus orationem fundebat ad dominum. Nesciebat enim quid caneret, quia litteras ignorabat. Uidens autem sepius in oratorium litteras super iconias apostolorum aliorumque sanctorum esse conscriptas, exemplauit eas in codice. Cumque ad occasum domini sui clerici uel abbates assidue conuenirent, hic ex iunioribus quem primum potuisset accersire secreto interrogauit nomina litterarum, et ob hoc eas intelligere cepit. Deinde hic inspirante domino et legit et scripsit, quod litterarum seriem cognouisset. Exin mortuo Sigivvaldo ad antedictum properat, et cum eodem duos uel tres annos faciens psalterium memorie commendauit. Quem eius germanus plerumque uxori sociare uoluit, sed noluit matrimonio copulari. Deinc monachis ad eos additus est. Impletis autem beatus Emilianus diebus uite sue lxxx annis, egrediens a corpore Bracchionem reliquit heredem. Hic stabulito monasterio obtinuit de memorati Sigevvaldi filia multa terrarum spacia, que adhuc ad monasterium pertinent. Erat enim saltus ex domo Vindiciacensi. Hic uero de hoc egressus monasterio Turonis uenit, ibique edificatis oratoriis duo monasteria congregauit. Quodam huius tempore aduenientes homines peregrini reliquias sanctorum detulerunt secum, quas super altare basilice sancti Martini Turonis locauerunt, qui in crastinum profecturi. Affuit Bracchio abbas, qui uigilans in basilica circa medium fere noctis uidit quasi globum ignis immensi de sanctis pignoribus emicare et usque ad templi cameram cum lumine magno conscendere, quod non est dubium aliquid fuisse diuinum, nulli tamen de astantibus aliis nisi illi tantum fuit ostensum. Post hec hic regressus est Aruernum ad monasterium suum predictum, in quo per v annos habitans uenit Turonis. Stabulitisque abbatibus in monasteriis predictis Aruernum regressus est. Cum ad priorem cellulam resideret, in monasterium Manatense destinauit pastorem prouidum, ut scilicet eius studio congregatio ipsa canonice regeretur. Erat enim castissime conuersationis, et alios strennue distringebat castam agere uitam. Suauis erat colloquio, blandus affectu. In transgressoribus uero regule ita seuerus habebatur, ut aliquotiens putaretur esse crudelis. In ieiu[…]nus uigiliisque et caritate perfectum reddiderat uirum. Cumque tempus migrationis appropinquaret, uidit in uisu sicut ipse beato Auito episcopo retulit, ductum se ad celos ethereos in presentiam domini, et in hac seraphin obumbrare maiestatem, et Esaiam prophetam apto uolumine quod uaticinauerat clamare. Dum attonitus spectaret, expergefactus somniumque suum attente discutiens, et finem uite sue domino reuelante cognoscens, ait abbati quem in priori statuerat monasterio: Locus ille secus fluuium in quo oratorium facere computaui iocundus est ualde, ideo rogo ut quod ego uolui tu expleas, atque ibi ossa mea transferre non abnuas. Quo migrante et in oratorio prioris cellule sepulto, cum abbas iniunctum cuperet opus explere, nutu dei et calces coctos antiquitus et fundamentum in ea mensura quam ipse ponere cogitabat nactus est, perfectoque edificio detexit abbas sepulchrum. Quo patefacto repperit corpusculum illesum, ut putaretur ante diem alterum fuisse defunctum. Et sic cum gaudio prosequente caterua monachorum, quem ipse docuerat, in loco illo post duos annos translatus est.

Vita beati Pafnutii confessoris. viii. kal. Martii.

C

Vidimus et monasterium sancti Pafnutii hominis dei, qui nominatissimus illius loci anachorites et ultimus habitator fuit deserti in regionibus Eracleos splendide apud Thebaidos urbis. De hoc fidelissima patrum narratione comperimus, quod cum fuisset uite angelice, quodam tempore orauit dominum ut sibi ostenderet cui sanctorum similis haberetur. Angelus uero assistens respondit ei, quod symphoniaco cuidam esset similis qui in uico illo cantandi arte uictum quereret. Tum ille obstupefactus nouitate responsi cum omni properatione pergens ad uicum perquirit hominem. Et cum inuenisset, studiosissime percontatur ab eo quenam sancti ac religiosi operis gestum sit ei, omniaque actus eius curiosius discutit. At ille respondit quod res erat se esse indignissime uite hominem peccatorem, atque non multum temporis ex latrone ad istud quod nunc exercere uideor fedum artificium deuolutum. Pafnutius eo magis instabat, requirens si quid ei forte uel in latrocinio positi operis fuisset admissum. Nichil inquit conscius mihi sum boni; hoc tamen scio quod cum inter latrones essem capta est aliquando a nobis uirgo deo consecrata. Hanc cum ceteri collegę